

Domus Firlejorum recipit in Societatem Armerum Christo-  
phorum Tretium.

26

Vetus est et inde a maioribus nostris in hoc Polonico Reg-  
no usitata consuetudo, ut ii etiam quos serenissimi Re-  
ges Polonici ob aliquam insignem virtutem a vulgi grege  
secreverint, et ad ipsorum nobilitatis gradum exulerint  
in maiorum Polonici gentium familias quodam modo  
arrogentur. Non quod eorum honori postquam ordinis  
Equestris Ornamentum a principe consequuti sunt  
quidquam addi possit, sed cum Res publica nostra, cer-  
tum et definitum familiarum numerum habeat, quae  
solida in hoc Regno nobilitatis cura possideant. Consue-  
tudo huiusmodi communicanda familia procerum hu-  
manitate erga novos homines introducta est, qua acci-  
pere arrogati maiorum lumina possint, sine quibus ip-  
sius nobilitatis a principe concessa beneficium luculentius  
adeorum posteris quam illos ipsos qui per virtutem pepe-  
rerunt perventurum erat. Cum igitur vir praestans et no-  
bilis Christopherus Tretius nostra et aliorum huius Reg-  
ni Procerum intercessione propter excellentem eius virtu-  
tem et praestantiam eius tum in Respublicam tum in ag-  
nos illius viros officia in superioribus huius Regni Co-  
mitibus hoc honore a sacra Regia Maestate affectus sit,  
ut in Nobilium et postea Secretariorum Regiorum nu-  
merum ascitus fuerit, cumque nihil ei praeter gentem  
maiorum desit, Nos Firley de Dombrowicz infra subi-  
cripti nominibus nostris propriis, ea qua illum a multis  
iam annis prosequimur benivolentia, tum eius erga nos

Omniemque familiam nostram cultu et officiis ad ducti, Com-  
memoratum Nobilem Christophorum Tretium Secretarium  
Regium iam ante in gradu Nobilitatis Serenissimi Regis  
nostri Omniumque Regni Ordinum iudicio collocatum,  
unaque eius liberos posteros que legitimis libenter prop-  
te que ingentem nostram recipiendum et arrogandum  
nobis esse iudicavimus, quemadmodum illum testimo-  
nio harum literarum ex certa scientia omnium nostrum  
pro nobis et posteris et successoribus nostris in familiam  
gentem que nostram suscipimus et arrogamus, eumque  
in gentilibus et propinquis nostris numeramus, habemus  
et agnosimus, gentis que et familie nostre arma et stem-  
ma Lewarth dicta et omnia nobilitatis insignia ei  
communicamus ut illis non aliter quam si ex gente  
familiæque nostra legitime ortus esset in annulis Vexil-  
lis, sigillis, edificiis et quibus ungue aliis consuetis  
modis utatur ac si agnatus noster et nostro sanguine  
creatus foret, pro qua quidem coniunctione gentis nos  
successores que nostri prædictum Nobilem Christophorum  
Tretium Secretarium Regum eius que liberos posteros que  
legittimos omni benevolentia, protectione, cura, que propin-  
quis debita est complectemur et prosequemur et posteris  
successores que nostri prosequentur. In quodam fidei  
has sigillis nostris munitas illi dedimus, manibus que prop-  
riis subscripsimus Datum Lublini 20. mensis May Anno  
Domini 1584. Nicolaus Firley in Dombrowicza Castellanus Ra-  
vensis manu propria. Andreas Firley Castellanus Lublinensis Capi-  
taneus Sandomiriensis manu propria. Nicolaus Firley de Dombro-  
wicz Castellanus Biicensis. R.M. Referendarius et Capitaneus Carimiri-  
ensis manu propria. Andreas Firley de Dombrowicza manu propria  
Iohannes Firley de Dombrowicza manu propria Petrus Firley de  
Dombrowicza manu propria